



H Germ. 373.

Hist. Circ. Sax. Super. 57.

I. N. D.

EXOPTATISSIMUM NATALEM

Serenissimi atque Potentissimi

PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. FRIDERICI III.

MARCHIONIS BRANDENBURGICI,

S. R. I. ARCHICAMER. & ELECTORIS,

Ducis Prussiae Supremi, Magdeburgi, Juliae, Cli-

viae, Montium, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorū,

item in Silesia, Crosnae & Svibusii, &c. &c. &c.

DOMINI ATQUE NUTRITII SUI CLEMENTISSIMI,

DE

REBUS EJUS

à mense Julio A. M. DCLXXXIX. ad Julium A. MDCXC.

BELLOGESTIS

conscripto,

tunc EX MEMORIA recitando

ELEGANTI CARMINE HEROICO;

IN PUBLICA ERUDITORUM PANEGYRI

Calendis Juliis, Horâ X. matutinâ

IN ACROATERIO MAJORE,

celebrabit

PEREXIMIUS JUVENIS

MICHAEL RHODE, Francof. March.

quod ut benevolè audiant,

MAGNIF. UNIVERSITATIS RECTOREM,

ILLUSTRISS. Dn. COMITEM, PERILLUSTRES atque

GENEROSISSIMOS Dnn. BARONES, PROCERES UNIVERSIT.

EXCELLENTISSIMOS, Ejusdemque GENEROSOS

atque NOBILISSIMOS CIVES

& quotquot humanioribus literis bene cupiunt

INVITAT

TIDO HENRICUS à LITH,

ELOQUENTIAE PROFESSOR ORDIN.

Francofurti ad Viadrum, Literis JOHANNIS COEPELII, Ac. Typ.



Principum virorum res gestas, eorumque, qui pace aut bello præclari imprimis haberentur, celebrare laudes perennitatisque temporum asserere, ab antiquissimis usque temporibus *Poetarum* munus fuit. Cùm enim hi primi omnium sapientiæ antistites essent, qui rudes incultosque hominum animos (svavitæ numerosæ dictionis in virtutis cultum inducerent; id simul operam dedere, ut propositis traditisque posteritati exemplis egregiis, ad æmulandum ejusmodi decus moverent eosdem atq; accenderent. Inde & ipsi Heroes voluere maximè commendari ab iis, qui jucundiore illa dicendi ratione præclara facta in exemplū spectanda, quasi perpetuò publiceque intuenda proponerent, illicerentque ac tenerent facile mentes, quòd nescio quid remotum à vulgo atque cœleste & venerandum præ se ferrent. Nam & apud Hebræos, à quibus præstantissimæ atque antiquissimæ artis hujus initia ducuntur, divinis humanisque præconiis dicata olim *Poesis*, neque in cæteris etiam gentibus priscisque Germanis alia memoriæ aut commendationis ratio gratior illustriorque habita fuit. Hinc enim, quòd gravissima populum tyrannide liberassent, *Harmodium & Aristogitonem* jussu populi apud Athenienses laudatos carmine discimus, Imperatoremque Augustum Scito cavisse, ut sui
mentio

mentio in hymnis solennibus fieret, quin & hujusmodi *Heroum* præconibus, aliis coronas, dignitates, magistratus datos, aliis statuas, templa condita, nonnemi eorum pro carmine & regnum decretum olim traditumque legimus, quod *Hiarno* Daniae Regi, teste Crantzio, obtigit. Et quis nescit, quo in honore summis terrarum Rectoribus fuerit nobilissima *Homeri Poesis* atque inæstimabile *Maronis* carmen, illaque præclara cæterorum opera? Hujus verò studij, ut jacere nonnullis videantur pretia, ex quo cantillare amores atque libidines suas & alienas cepere homines inepti, aut parasiticam exercere, excellentissimâ arte ab origine sua ad nugas lenociniorumque; portenta longissimè traductâ; stat tamen suum masculæ Poesi decus, quæ ad initia sua verumque; usum carmen revocat, atque; aut vitæ ritè instituendæ morumque; regulas tradit, aut Dei opera Principumque; virtute illustrium facta canit, quorum commemorationem & præclara exempla per omne ævum dividat. Quod orationis commendationisque; genus, eò magis æstimandum hodie est, quò seculi nostri vitio, rariores inveniuntur, qui huic solidioris eruditionis parti dant animum, idemque, splendore, varietate, ornamentis & cultu, atque ipsa etiam suavitate sua *Principum* elogiis aptum magis est. Ex horum planè exiguo numero commendandus nobis in præsens venit

PEREXIMIUS JUVENIS

MICHAEL RHODE, Francof. March.

Viri Nobilissimi, Consultissimi atque Excellentissimi, DOMINI MARCI RHODEN, J. U. D. Codicis Professoris Celebrissimi, Optimæ Spei Filius, qui Serenissimi atque Potentissimi PRINCIPIS ac DOMINI, DOMINI FRIDERICI III. ELECTORIS BRANDENBURGICI, Domini atque Nutricii nostri Clementissimi, RES à mense Julio Anni superioris, ad Julium usque hujus anni BELLO GESTAS, illo ipso auspiciousimo OPTIMI PRINCIPIS NATALI, qui primus mensis ejus est, suo Marte elaborato HEROICO CARMINE ex memoria dicere instituit. Hic enim cum indefessa quadam assiduitate ac industria, summaque; contentione ac studio in egregias literas feratur; tum ductu naturæ laudabilique; ratione propositi sic ordinavit studia, ut aliquid temporis Poeticis quoque literis & carminum amœnitati tribueret. In quibus quousque scribendo seque exercendo processerit, letissimæ venustatis carmina, quibus editis haud vulgarem sibi laudem olim comparavit, eloquuntur. Et quantum oratione
libera

libera profecerit, testes nobiscum ii sunt, qui in scholis nostris
privatis pura & eleganti dicendi ratione promptissimè orantem
toties audivère. Neq; minori felicitate Geographica & Phi-
losophiæ Moralis cæteraqve studia coluit, prorsus intentus ea sibi
parare omnia, quæ mentem doctrinæ opibus instruant, aptum-
qve eum reddant, qui in re literaria egregias aliquando partes
administret. Est enim & capacissimo ingenio, valetqve prom-
ta memoria, & per illam ætatem satis acri elegantiqve judicio,
ut quicquid in rem est, norit aptè existimare atqve discernere.
Quò cum accedat integritas vitæ innocentiaqve morum, nihil
est, quod optimam illam de virtute ejus conceptam spem non
usque augeat. Dignæ verò omninò sunt hæ virtutes, illaqve
singularis in PATRIÆ PARENTEM pietas, quæ ut in ho-
norem auspiciatissimi diei pro ingenii copia eruditum ac elegans
carmen elaboraret illum impulit, quam omni favoris genere
prosequamur. Quod cum ex promptissima memoria *ipsis Ca-*
lendis Julis, recitaturus sit,

Magnificum Universitatis Rectorem,

Illustrissimum Dominum Comitem,

Per Illustres atque Generosissimos Barones,

Proceres Universitatis Excellentissimos,

Ejusdemque Generosos atque Nobilissimos Cives,

quâ par est observantiâ cultuqve rogamus, ut, quo favore alte-
rum illum oratione soluta eadem die dicturum audient, eodem &
ELECTORIS SERENISSIMI Res Gestas poeticis numeris ele-
ganter magnificeq; exponentem auscultare, & quæ dicentur, piis
votis & interiore animi lætitia velint prosequi. Ita enim non
obscure ostendent egregiam illam in PRINCIPEM pietatem, su-
umqve in *Excellentissimum Parentem*, de Universitate nostra
longè optimè meritum, affectum favoremqve in *Egregium Ju-*
venem & humaniores literas, quem quo possumus officiorum ge-
nere remunerari studebimus. P.P. in Universitate Viadrina ad
d. XXIX. Junii MDCXC.



keine Repros mögl.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

Stü
21.6.02

12 März 1996

22. Jan. 1998

10 Nov. 1999

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0262659

hist. Bannm 28

Donna 23



l
v
r
u
v
i
-
h
3
r